

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicus cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Dubium decimum-quartum. Qualiter secundùm S. Augustinum fuissent  
propagati homines in statu innocentiae, si primi homines non peccassent?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**



## D V B I V M . X I V .

*Qualiter secundum S. Augustinum fuissent propagati homines in statu innocentiae, si primi homines non peccassent?*

**S**uppono, Etsi primi homines non peccassent, tamen futuram hominum multiplicationem, cum in natura humana, ut S. Thomas docet i. p. qu. 98. a. 1. propter perfectionem animae rationalis & immortalis, &c. non tantum species, sed etiam singula individua sint per se intenta ab auctore naturae. Et Gen. i. haec benedictio, *Crescite & multiplicamini*, non sit data homini occasione peccati, sed propter bonum talis naturae. Hoc supposito

Fuerunt aliqui Patrum antiquiorum istius opinonis, quod in statu innocentiae genus humanum propagandum non fuisset per naturalem generationem, sed per creationem, & S. Pater videtur ita quoque sensisse lib. de Gen. contra Manichaeos cap. 19. ubi explicans verba illa: *Crescite & multiplicamini*, dicit: *Licet nobis ea spiritualiter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conversa esse videatur*, id est, ut usus conjugii per peccatum fuerit introductus. Et lib. de vera Relig. c. 46. dicit: *Non futuras necessitudines*

dines has consanguinitatum, affinitatum, & cognati-  
num, si primi homines perseverassent in statu integri-  
tatis. Sed

Respondeo & dico. Secundum S. Augustinum, in illo statu integratatis, genus humanum fuisset pro-  
pagatum per viam generationis, sive per sexum com-  
mixtionem. Probatur primo ex lib. 14. de Civ. c. 23.  
ubi ait: *Quisquis autem dicit, non fuisse coituros, nec  
generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter nume-  
rositatem Sanctorum, necessarium hominis fuisse pecca-  
tum?* Si enim non peccando soli remanerent, quia sicut  
putant, nisi peccassent, generare non possent; profecto, ut  
non soli duo justi homines possent esse, sed multi, necessa-  
rium peccatum fuit: quod si credere absurdum est, illud  
potius est credendum, quod Sanctorum numerus, quantus  
complende illi sufficit beatissimae civitati, tantus existeret,  
etsi nemo peccasset, quantus nuns per Dei gratiam de  
multitudine colligitur peccatorum, quo usque filii hujus sa-  
culi generant & generantur. Et c. 24. Seminares igitur  
prolem vir, susciperet fœmina genitalibus membris quando  
id opus esset, & quantum opus esset. Probatur secundo  
ex lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. ubi dicit: *Non video, quid  
prohibere potuerit, ut essent hominibus etiam in paradyso  
honorabiles nuptiae, & torus immaculatus.* Probatur ter-  
tiò ex lib. 2. de pecc. orig. c. 35. Essent, inquit, autem  
procùl dubio nuptiae, etiam non præcedente peccato, quia  
neque aliam ob causam viro adjutorium, non aliis vir,  
sed fœmina facta est. Et illa Dei verba, *Crescite & multi-  
plicamini, non est damnorum prædictio peccatorum,*  
sed fecundarum benedictio nuptiarum.